cipem cristianissimum et fidei ortodoxe defensorem et precipuum dilectorem, prout ipsius actus catholici et vita commendanda euidenter demonstrant, tanquam illegitime citatum nec non contra omnes et singulos eidem in amministracione regni et imperii predictorum dantes consilium auxilium vel fauorem, diuersos promulgauit successiue processus, sentenciis penisque variis subsecutis in ipsius sacrique Romani imperii humiliacionem et iacture preiudicium satis grave ac plurimorum cristicolarum periculum et ruinam. Cum itaque dominus noster Ludowicus predictus de offensis quas sedi apostolice occasione dictorum processuum irrogauit, Sanctitati vestre ac eidem sedi satisfactionem et emendam offerat congruentes, prout ex legacione Reuerendissimorum in Cristo patrum et dominorum domini Heinrici archyepiscopi Moguntini et quorundam aliorum dominorum episcoporum istarum parcium sanctitati vestre nuper facta, vos credimus plenius informatum, Sanctitatem vestram deuotis precibus exhortamur, quatenus in acie mentis vestre reuolutis complexis nexibus, qui Cristi populo ex dissensione huiusmodi noscuntur notorie imminere, dictum dominum principemque nostrum et Romanum imperium sinatis in sui status existencia, honore et reuerencia conuenienter absque dispendio permanere intuitu nostrorum humilium meritorum, Sanctitatis vestre piis affectibus vberius cogitantes de salubri reconciliacione eiusdem, quam communiter omnes populi Romani imperii dicioni subiecti tam principes ecclesiastici quam seculares ac alii homines cuiuscunque nominis aut honoris existant, sincerissimis animis desiderant et affectant. Memoratis processibus contra predictam regni et imperii Romanorum et ex consequenti nostre patrie Germanie, quam a tempore prefati Karoli citra regnum et imperium huiusmodi habere promeruit consuetudinem, ut predicitur promulgatis, quamuis prefatum dominum imperatorem et nos non noscantur aliqualiter ligauisse, per sanctitatis vestre clemenciam reuocatis, Sic quod eundem dominum nostrum ad gremium ecclesie satisfatione condigna redire desiderabiliter affectantem, ad premissa dispendia et pericula submouenda de solita benignitate ad reformacionis graciam dignemini admittere in sinu vestre gracie, vberius confouendo. Et ut de statu terrarum imperii Alemanie vestra sanctitas in hac parte valeat vberius informari, vos cupimus non latere, quod si huiusmodi sue reconciliacionis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/alte_sammlung1984/0153